

OREMUS

Domine Jesu Christe, qui dixisti discipulis tuis : In quamcumque domum intraveritis, salutate eam, dicentes : Pax huic domui, veniat, quæsumus, pax illa super hanc domum et officinam ad libros imprimendos (evulgandos) præparatam, et super omnes degentes in ea ; et cunctos, Domine, in ea labores ab omni calamitate animæ et corporis eripere et liberare digneris; reple scriptores, rectores et operarios spiritu scientiæ, consilii et fortitudinis, et adimple eos spiritu timoris tui, ut mandata Ecclesiæ fideliter custodientes, tibi digne et proximo suo salutariter valeant inservire. Beneſdic ergo, bone Jesu, qui es via, veritas et vita, hunc locum, et præsta, ut omnes illum inhabitantes, intercedente gloriosa et immaculata Virgine matre tua Maria, ad immarcescibilem gloriæ coronam, feliciter perveniant. Qui vivis et regnas Deus per omnia sæcula saeculorum. R. Amen.

Deinde benedicit instrumenta et machinas, dicens :

OREMUS

Domine Deus, unice fons scientiarum, qui hominum ingenium ita illuminare dignatus es, ut nova artificiosa instrumenta invenirent ad paginas typis scribendas; beneſdic, quæsumus, has machinas (hanc machinam), ut per libros ad utilitatem nostram prodeentes nihil aliud te opitulante discamus, præster scientiam tuam, quæ vere ducit ad vitam. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

*Postea aqua benedicta instrumenta et machinas aspergit.
Finita aspersione, dicit :*

v. Dominus vobiscum.

r. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, et mittere digneris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui custodiatur, foveat, protegat, visitet atque defendat omnes in hac domo habitantes. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.